

& determinat. Iudiciaque & definitiones facit, speculatiuarum scientiarum doctrinalium exordia, quæ erant fines inuentiuarum : sententias, & decreta Moralia; determinationes, operabilium ; iuxta cognoscitui, Appetitiui, & Potestatiui, Primalitatum extēsiones ad obiecta; quemadmodum in physiologia declarauitus. Quapropter philosophi non intelligunt neque determinināt, quid res est, nisi sensu suo & aliorum prænouerint quia est. Et cum aliquid insensile proponitur, iudicant de illo ex historia sensibilium per similitudinem analogicam, aut ex auditu prout potest, sicut cæcūs de coloribus : in quibus & sepè fallitur. Politici & cœconomici, & Morales, nisi prius mores proprios & aliorum ex sensibus notauerint, haudquaquam ad deliberationes vñquam peruenient. Unde quoniam mores corporei non sunt, iuuenibus scientia moralium parum aptatur : physicarum verò magis, Rhetor & iudex in historia fundant quæstiones, & iudicium, vt docuimus in Reth. propterea narratio in oratione præcipua est. Nec medicatur Medicus nisi ab ægro & astantibus morbi & symptomatis historiam didicerit. Poetae etiam & fabulosi narrationem fabulæ faciunt basim, super quam figmenta construunt & carmina; illamque in prologis ante ponunt. Theologi insuper ex reuelata narratione, & sacris historiis, ad Theologyzandum eleuantur. Quapropter non cuiuscunque hominis est historiam scribere: sed sapientis. Licet historia præcedat sapientiam, vt basis: hanc tamen basim supponere & adaptare ædificio, sapientis est Architecti : propterea nos historiam ante logicam & grammaticam ponimus & primam omnis philosophiae partem facimus : historiographiam verò quintam philosophiae Rationalis partem iure inseribimus : non enim nisi doctus historias scribet, prout deceat ad finem. A Grammatica, enim elocutionem, à Logicalocos descriptionis per cathegorias accipit. Nec expers philosophiae qui naturalem; nec moralium, qui ciuilem, nec Theologie, qui sacram scribit, historiam.